

2

DISSERTATIO INAUGURALIS  
PHYSIOLOGICO-PATHOLOGICA  
DE  
**AUTOCRATIA**  
NATURAE IN CONSERVANDA ET  
RESTITUENDA SANITATE

QUAM

SENSU ET AUCTORITATE MAGNIFICI DOMINI PRAE-  
SIDIS AC DIRECTORIS, SPECTABILIS DOMINI DECANI,  
AC CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM PRO DOCTORA-  
TUS LAUREA, OMNIBUSQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET  
PRIVILEGIIS RITE CAPESSENDIS IN ALMA AC CELEBER-  
RIMA R. S. UNIVERS. UNGARICA.

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI

SISTIT

**JOANNES PAULINI,**


Hugarus Bihariensis.

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Facultatis me-  
dicæ, die 8. Mensis Decembris Anno 1834.

---

PESTINI,

TIPIS LANDERRIANIS.



Valetudo sustentatur notitia sui corporis, et observatione earum rerum, quae res aut prodesse soleant aut obesse; et continentia in victu omni atque cultu corporis tuendi causa, et praetermittendis voluptatibus; postremo arte eorum ad quorum scientiam haec pertinent.

*Cicero de offic.*

## I N T R O D U C T I O .

---

### §. 1.

Cum omnes Medici morbos curantis conatus, nisi Autocratiae Naturae dictamen sequantur, irritos prorsus esse, nullus inficias ire ausit: in late patente scientiae medendi campo Naturae Autocratiam convenientissimum inauguralis hujus Solennitatis argumentum sistendam duxi. — Sed adprime sciens systematicam omnium, quae omnis aevi Philosophis naturae titulo intelligere placuit, hisce pagellis exarationem exili moliri marte, non minus arduum tentamen, quam vasti oceanì arenas pugillo prehendere velle, durum molimen esse: eorum solùm, quae angusto Dissertationis hujus ambitu capi possent, nec imbecilli ingenii mei acumine superiora forent, hic loci pro virili meminisse cupieram.

## NATURAE AUTOCRATIA.

### §. 2.

Natura a nasci, sensu lato idem est, ac mundus, *κοσμος*, rerum universitas; denotat adeoque, quidquid nasci, seu oriri in spatio, ac tempore contigit, et hoc sensu ipse quoque homo cum universis, quae praeter Deum existunt, ad Naturam refertur. Alias nomine Naturae comprehenditur systema universale virium, quae in mundo agunt, vel agere

nituntur secundum leges a Creatore sapientissimo praefixas; et hoc sensu per Naturam hominis nil aliud intelligitur: quam complexus virium, ac facultatum vitam hominis gubernantium, brevi essentia hominis.

Est proin Autocratia Naturae hominis virium, ac facultatum homini insitarum actio, et nisus spontaneae a se ipso elicitus; nam Autocratia vox graeca est, et ab *αὐτος*, solus, ac *κρατος*, potentia veniens, vim independentem spectata etymologia significat.

## NEXUS HOMINIS CUM UNIVERSA NATURA.

### §. 3.

Minime quis credat, hic spontaneum, et a se ipso hominis virium nisum eo summi debere sensu, quasi hominem posse a reliquâ Natura separatum existere, et agere. Nam

a) Ut omne corpus organicum ultro perstare possit, nova virium, atque materiae restauratione indiget, quam inde rursum repetit, unde primam duxit originem: e sinu naturae benigno. Praeter factores ergo vitae internos mutuo quoque cum natura externa commercio, ut conditione maxime essentiali fulcitur quivis processus vitae organicus.

Utut proin organismus humanus solemniter individualitatis eharactere gaudens sit microcosmus, in quo non solum venustus omnium organorum in series majores, et in integra systemata congressus, verum et harmonica omnium functionum in unam corporis organici vitam conspiratio, viget: in macrocosmo tamen extra immediatum cum reliqua natura nexum materialem, ac dynamicum existere, et agere nequit homo, sic:

Vita ejus reproductiva, a qua structura, et mixtio corporis dependet animalis, cujusque praeci-

pua in systemate lymphatico, et venoso, porro in organis chylicationis, sanguificationis, et secretionis sedes, a mutuo cum mundo externo commercio, ut maxime essentiali dependet conditione.

Eidem conditioni innititur vita etiam irritabilis, cujus focus in corde, organis respirationis, partibus musculosis, quae functionibus suis non nisi naturae vacat impulsu.

Sensibilitas denique, per totum systema nervosum diffusa, ut phoenomenon in lucem nunquam emergeret, nisi objectorum externorum in eam fierent impressiones. Vitam vero altissimam, quae rationis absolvitur operationibus, huic mutuo cum objectis extra nos positis nexui inniti, nemo dubitabit, qui perpenderit, sui ipsius conscientiam, cui omnes mentis actiones tamquam columnae insistent, concipi aliter non posse, nisi per oppositionem illam, in qua cum objectis mundi externis se versari, animadvertit.

b) Omnia, quae videmus, audimus, aut quoquo demum percipimus modo, ex eodem promanarunt fonte. Granulum arenae exiguum, quod pedibus calcamus; adamas, cujus fulgor regiam circumdat frontem; ferrum, quod mox in salutem, mox in interitum fratris vertimus; aurum, cujus tanta mortalibus cupido; planta, qua vescimur; flos, cujus grata effluvia tantum nobis largiuntur voluptatis; arbor, in cujus umbram fessos conjicimus artus; amphibium humi repens, piscis aequora, volucris aëra trajiciens, vulpes astutia, fide canis excellens, ex eodem fertili promanarunt naturae sinu. Ergo et homo, creationis hocce miraculum, qui gaudium, et tristitiam, iram, et misericordiam, spem et metum, amorem et odium eodem gerit pectore; qui intellectu astra metitur, et infiniti perlustrat spatia, qui ratione caliginosa naturae

pandit arcana, corpore vero leni zephyri saepe sibilato praestat, eandem agnoscat originem oportet.

Unde sponte elucet, me minime, cum de autocratia naturae hominis loquor, hujus extra naturae sinum existentiam, ac activitatem omnino possibilem asserere, verum eo unice contendere, et propriam homini in naturae sinu competere vitam, quae donec propriis viribus regitur, jure spontaneae a se ipso esse, et agere dici potest. — Sed nec vitam pro mero virium-in materia concurrentium resultado habeo; nam ubicunque in rerum natura oppositio virium offenditur, ibi etiam materierum oppositio adest, et vice versa. Ut igitur ad omnem, et singulum processum dynamicum non tantum dynamici, sed et materiales concurrant factores. Quare acute ait cel: Vilbrand: „nullam materiam absque vita, sed in natura nec ullam vitam absque materia dari.

## DISTINCTIO AUTOCRATIAE NATURAE.

### §. 4.

Licet una eademque sit humanae naturae autocratia, principio vitae, hucusque inextricato superstructa; modus tamen, quo hominis consulit saluti, duplex est: scilicet omnis hominis vita per integrum, quod ab utero materno ad tumulum usque percurrit, curriculum jam in normali, jam in abnormi valetudinis statu constitui potest, in primo casu conservando, in secundo reddendo humanam vitam incolumem, amica fit homini natura, et hinc ibi conservatrix, hic medicatrix ejus audit autocratia.

---

# C A P U T I.

## AUTOCRATIA NATURAE CONSERVATRIX.

### §. 5.

Nomine Autocratiae naturae conservatricis venit actio, et nisus spontaneus virium, ac facultatum hominis, praesentem sanitatem conservandi. Inest quippe homini vis quaedam, qua hic sine omni artis concursu contra externos, internosque influxus noxios vitae suae integritati consulit, eam incolumem per stadia, ab Auctore Naturae sancita ducit, et usque euthanasiam comitatur.

Nollem tamen, quis credat, me hoc sensu entia sine necessitate multiplicare, et unitatem, ad quam ratio constanter tendit, insano consilio laedere velle; naturae namque hominis, quatenus vitae in universo vigentis peculiarem modum sistit, non plures, quam unicam praefigo vim, illi in reliqua natura vigenti analogam, tantum quoad individualitatem organismi humani modificatam. Unde sponte patet naturae hominis conservatricem vim in principio vitae radicari, et peculiarem simul modificationem principii illius activi, quod hominem ex informi mole gigni, formari, nasci, crescere, ac roborari facit, sistere; denique vi naturae conservatrice inter omnia organismi vivi systemata, omnesque functiones vitales harmonicum foveri aequilibrium, vi cujus pars una praepodium assequi nequit, quin alia eadem ratione debilitetur, et dum potentia quaequam nocens reciprocam hanc proportionem turbare nititur, haec vel subigitur, vel e limitibus organismi proscribitur. Interim omne hoc naturae molimen cum summo valetudinis humanae discrimine optato omnino carebit saepe scopo, nisi et psyche in hoc opere sua habeatur dignitas, siquidem vera hominis natura intimo naturae physicae cum

pandit arcana, corpore vero leni zephyri saepe  
sibilo praestat, eandem agnoscat originem oportet.

Unde sponte elucet, me minime, cum de au-  
tocratia naturae hominis loquor, hujus extra natu-  
rae sinum existentiam, ac activitatem omnino possi-  
bilem asserere, verum eo unice contendere, et pro-  
prium homini in naturae sinu competere vitam, quae  
donec propriis viribus regitur, jure spontanee a se  
ipso esse, et agere dici potest. — Sed nec vitam  
pro mero virium-in materia concurrentium resulta-  
to habeo; nam ubicunque in rerum natura oppo-  
sitis virium offenditur, ibi etiam materierum opposi-  
tio adest, et vice versa. Ut igitur ad omnem, et  
singulum processum dynamicum non tantum dyna-  
mici, sed et materiales concurrant factores. Quare  
acute ait cel: Vilbrand: „nullam materiam absque vi-  
ta, sed in natura nec ullam vitam absque materia  
dari.

## DISTINCTIO AUTOCRATIAE NATURAE.

### §. 4.

Licet una eademque sit humanae naturae auto-  
cratia, principio vitae, hucusque inextricato super-  
structa; modus tamen, quo hominis consulit saluti,  
duplex est: scilicet omnis hominis vita per inte-  
grum, quod ab utero materno ad tumulum usque  
percurrit, curriculum jam in normali, jam in ab-  
normi valetudinis statu constitui potest, in primo ca-  
su conservando, in secundo reddendo humanam vi-  
tam incolumem, amica sit homini natura, et hinc  
ibi conservatrix, hic medicatrix ejus audit auto-  
cratia.

---



# Q A P U T I.

## AUTOCRATIA NATURAE CONSERVATRIX.

### §. 5.

Nomine Autocratiae naturae conservatricis venit actio, et nisus spontaneus virium, ac facultatum hominis, praesentem sanitatem conservandi. Inest quippe homini vis quaedam, qua hic sine omni artis concursu contra externos, internosque influxus noxios vitae suae integritati consulit, eam incolumem per stadia, ab Auctore Naturae sancita ducit, et usque euthanasiam comitatur.

Nollem tamen, quis credat, me hoc sensu entia sine necessitate multiplicare, et unitatem, ad quam ratio constanter tendit, insano consilio laedere velle; naturae namque hominis, quatenus vitae in universo vigentis peculiarem modum sistit, non plures, quam unicam praefigo vim, illi in reliqua natura vigenti analogam, tantum quoad individualitatem organismi humani modificatam. Unde sponte patet naturae hominis conservatricem vim in principio vitae radicari, et peculiarem simul modificationem principii illius activi, quod hominem ex informi mole gigni, formari, nasci, crescere, ac roborari facit, sistere; denique vi naturae conservatrice inter omnia organismi vivi systemata, omnesque functiones vitales harmonicum foveri aequilibrium, vi cujus pars una praepodium assequi nequit, quin alia eadem ratione debilitetur, et dum potentia quaequam nocens reciprocam hanc proportionem turbare nititur, haec vel subigitur, vel e limitibus organismi proscribitur. Interim omne hoc naturae molimen cum summo valetudinis humanae discrimine optato omnino carebit saepe scopo, nisi et psyche in hoc opere sua habeatur dignitas, siquidem vera hominis natura intimo naturae physicae cum

psychica fundetur commercio, unde sicut fit, ut sola saepe psychico influxu sanitas corporis subruitur, ita ad hanc conservandam maxima saepe psycheos potentia indubia sit.

## AUTOCRATIA NATURAE CONSERVATRIX EXISTIT.

### §. 6.

Inesse corpori vivo facultatem, atque potentiam se in incolumi statu, et ad eundem semper protypum conservandi, ex ipsa ejus ad externam rerum naturam positione adeo confirmatum habemus, ut mirum certe videatur, quomodo unquam in dubium vocari potuerit. Etenim.

- a) Ea est naturae universae oeconomia, ut haec vi formativa sibi primitus inhaerente continuo condant, et quae condidit, rursus destruat, e destructis novas iterum moliens creaturas; ut adeo in universa natura perpetua vigeat metamorphosis, perpetua materiae, et formae mutatio, cui omne, quod vivit, subjiciatur, sicque rursus eo, unde processit, in matris quippe naturae complexum redeat. Vix igitur e terrae sinu divini Plasmatoris nutu animatus homo in immediatum cum mundo externo ponitur commercium, illico miser inimico huic implicatur foederi, vi cujus sicut nihil in rerum est universo, quod faventibus ceteris adjunctis vitae, et salutis ejus conservandae non inserviret: ita sub alia rerum positione omne, quod existit, a flagrante fulminis ictu usque ad tranquillum Austri habitum, in ejus perniciem, ac ruinam proterve conspirat; ipsi adfectuum, et passionum, aeris, temperaturae, cibi potusque, et aliorum necessariorum vitae incitamentorum noxii influxus humanae salutis insidias struunt; non secus nexus hominis socialis, officium ei imposi-

tum, rerum ad vitam prosperam necessariarum penuria, effrenis voluptatum cupido, et luxuria in hominis perniciem conspirant. Ipsum tamen hoc infinitae Coeli sapientiae miraculum, ubi vivendi rationem legibus, necessitatibus, et finibus vitae, aut ut dicunt, naturae humanae adcommodat, valetudinem suam non raro ad serum usque senium incolumem tuetur, neque morbo succumbit, sed placide tandem letheis sopitur undis. Qui igitur fieri possit, ut heros inermis insano consilio cum immani hae hostium caterva in arenam conscendens nequiquam succumbat, sed potius continuae victoriae laurea tempora cingat? profecto non aliter de hoc refert hoste victoriam heros, quam benigna naturae conservatrix, autocratia, praesenti hominis sanitati sedulo vigilans, quorumvis influxuum, hominis valetudinem normalem labefactantium inclementiae una resistens, quamdiu nempe influxus hi noxii certum vehementiae gradum non consequuntur. Sed

b) Vim naturae conservatricem ipsa quoque corporis humani vivi oeconomia in apricum ponit; nam praeter eam, quae universae naturae propria est, metamorphosim perpetuo condentem, ac destruentem, et alia in corporis humani vivi ergastulo individualis metamorphosis, continuae destructionis fomitem sistens, residet, vi cujus organismum aut mediante continua evacuatione, ac evaporatione tandem exarescere, aut neglecta materiae, nota organica jam privatae solutione, et solutae a reliqua substantia organica separatione tandem penitus rigescere oporteret, nisi in intimis vitae penetralibus et facultas resideret destructa reparandi, amissa restituendi, et organismum vivum in intemerato virium vitalium, ac materiae organicae aequilibrio conservandi. Aequilibrium hoc, et constans naturae in idem nisus phoenomenis,

quotidie in organismo vivo conspicuis plurimum confirmatur. Sic agente altiore temperaturae gradu digestionem prostrata, sudore, ejusque per cutem evaporatione autocratia naturae thermogenesis impedire, caloricum e corpore derivare, et praecavere nititur, ne temperatura ejus interna altiorem evolutionis gradum adipiscatur, hinc etiam majus aestate potus desiderium alacrioris hoc tempore in cute exhalationis, et excretionis effectus est; contra eveniens hieme caloris animalis deperditio exaltata digestionem, et adsimilationem restituitur. — Sic cum aura oxygenio purior, sicca, densaque diutius in organa respirationis agens horum activitatem, sanguinisque arteriosam indolem summopere exaltat, autocratia naturae Pyrexiarum, et Phlogosium evolutionem impedit promovendo digestionem, qua maior substantiarum plasticarum quantitas paratur, legitima inter materiae organicae elementa ratio restituitur, et organismus contra imminentem resolutionem defenditur; contra agente in pulmones aere humido, calido, sub eodem volumine minus oxygenii tenente, pulmonum, et cutis functio deprimitur, materierum organicarum elaboratio langvet, humorum serosorum infiltratio evenit, quo influxu diutius durante corporis nimia laxitas cum summo virium langvore sequeretur, nisi autocratia naturae conservatrix his quoque provide succurreret periculis, impediendo substantiarum aquosarum accumulationem per auctas secretiones, et excretiones urinae, inducens simul anorexiam, et adypsiam; naturale denique spirituosorum, et aromaticorum, quibus lentus metamorphoseos organicae processus excitetur, desiderium provocans.

Ex quibus patet vitam non solum externi, inter corpus vivum, et naturam externam, verum et interni, inter factores vitae dynamicos, ac materia-

les vigentis commercii culpa a normae tramite errare, et quamdiu non errat, id unice censervatricis naturae vigilantia caveri.

c) Etiam impulsus, quibus normali hominis ad mundum empiricum relationi, nec non harmonico omnium vitae individualis functionum concentui prospicit natura, hujus argumenti veritatem non parum firmant. Etenim, quod fame exorta alimentum, substantias coagulabiles restituens capiat, siti exorta potum, quo humorum corporis debitam qualitatem conciliet, hauriat homo; non consuetudine, aut libidinis progenie, sed salutari naturae instinctu monitus id agit, — quod porro assimilationi organicae jam inepta, ne in corruptionem ruentia destructionem post se trahant, excernat, quod debitum musculorum exercitium ad roborandam sanitatem colat, sensus internos, ac externos, nec non facultates animae superiores poliat, somno, quae per vigilantiam amissa fuerunt, repararet: volente natura id facit. Et me Hercule! quare foetus in utero materno spontaneo motu suae edit vitae indicia; — neonatus vix ex utero egressus se sponte versus mammas vertit maternas, et ex iis lac arte, a nullo unquam percepta sugit; — infans primis vitae annis frequenti ad capiendum somnum urgetur impulsu; — adultus cursu, saltu, natatione delectatur, locorum amoenorum, sylvarum, et camporum, cantus, musicae, ac substantiarum odoriferarum, quae perfectioris sunt physicae, ac intellectualis culturae requisita, naturali capitur amore? Quare pullus vix ex ovo prosiliens, jam grana legit, bestia tenellis suis vigilantia, et escae adsistit? Quare plantarum radicae saxa saepe permeantes se in terram humidam immittunt, folia, imo integrae plantae versus radium solis inclinant, velut verum vitae earum pabulum? an non omnia

haec phaenomena mira salutari debentur conservatricis naturae praecepto?

d) Denique Philosophi antiquissimi Medicinae studium una colentes: Pythagoras, Anaxagoras, Democritus, et plures alii sapientissime de Autocratia naturae disserentes saepius fantur: totam naturam adspirare ad sui conservationem, vel ad se completandam, si imperfecta sit, — illam vigilare in conservationem omnium, illam non facere saltum, sed potius in suis operibus per unam quasi catenam progredi, illam tendere in omnia ea, quae possunt perficere ejus actus, et fugere ea, quae illi damnum, aut destructionem causant, illam appetere id, quod eam conservat, et abhorrere id, quod eam occidit.

Et Hippocrates, qui non tantum in theoria autocratiam naturae ad culmen evexit perfectionis, verum et in praxi castissimis eam probavit observationibus, in Lib. de Insom. dicit, quod psyche gubernet suam propriam domum. Item alibi, quod natura sit animalium servatrix, noxia indicet, ac ejiciat, convenientia servet, aliena separet.

Plato in suis principiis secus Hippocrati accedens, de natura ait: hanc esse artem divinam in materia, quae operatur omnia in nobis, pro ea ignem ab orientis populis Divinitatis instar cultum, tamquam causam vitae, et fontem omnium, quae existunt, habens.

Miram hanc naturae in omnia vigilantiam et Aristoteles candide fatetur, cum Lib. 11. de generat. C. 10. sic fatur: „natura semper optima facit in omnibus illis, quae esse possunt.

His accedit et Claud. Galenus vir summo ingenii acumine, et omni scientiarum genere instructus, qui Lib. IX. de Placitis Hippocratis, et Platonis L. V. de Facult. Naturae haec habet: natura est fons sanitatis hominis; retinet enim hoc, quod ei

est utile, et expellit superfluum, seu objecta ei peregrina per suas proprias vires.

Recensita haec diversae dignitatis argumenta hominem cum universis, quae existunt, et agunt, provida natura conservari adeo luculenter demonstrant, ut quomodo hoc a quibusdam in dubium vocari, vel plane negari potuerit, profecto nec quidem capi possit, nisi oculus hypothesei obfuscatum nec diei lucem percipere, adprime constet. — Nec quem ita insanum dari facile crediderim, qui ex eo, quod mortales sub gravi morborum jugo gemere quotidie pro dolor! videndi sit occasio, omnem huic adserto fidem proterve negare non horreat; virtus namque vitalis hominis tantis infringitur e causis, partim praedisponentibus, parentum saepe culpa, aut propria fragilitate acquisitis, partim excitantibus, iterum aliorum malitia, vel propria imbecillitate, aut levitate susceptis, ut ob has integritatem vitae vacillare, et a norma deturbari omnino necesse sit. Etiam inter has procellas valetudinem saepe diutissime autocratia naturae intemeratam conservari, superius, quoad fieri poterat, probaram, sed quis prudenti consilio ab ea postulare poterit, ut cum vires vitales per immanem hanc noxiorum influxuum catervam suffodiuntur, vis naturae conservatrix armis suis spoliata, illis resistere valeat.

#### §. 7.

Incipit vis naturae conservatrix eo momento, quo in sinu matris animatur homo, et desinit, cum is universali naturae resolutionis processui traditus, redit, unde emanavit, in sinum naturae universae. — Sic aetate fetali, quae vix non tota vitae plasticae, et organici ex fluido formationi, et constructioni dicata est, non solum eo consulit natura fetus conservationi, quod omnes corporis partes ad humani protypi figuram formare, et struere studeat, sed insuper instituat, ut is in oceano nutricao natans

tanto facilius noxium effectum impulsuum externorum declinet, qui tanti sunt, ut vita fetus in ortu exstringeretur deficiente hac providae naturae sollicitudine. — Aetate infantili ob majores humorum plasticorum versus caput congestiones, quibus praecipue dentitionis tempore infantes obnoxii sunt, facile inflammationes celebri cum exsudatione morbosa ortae infantes necarent, nisi has naturae Autocratia per ventriculi, et viscerum abdominalium functionem antagonisticè exaltatam salvaret. — Aetate juvenili ob rapidiorem organorum genitalium evolutionem, qua ad functiones suas praeparantur, ob praevalentem vitae sensiferae potentiam, et alacriorem sanguinis ad pulmones torrentem, juvenes per evolutas inflammationes pulmonum, haemoptises, phthises, morbos a turbatis functionibus genitalibus, vitae tandem sensiferae, et animi alienationes orci traderentur faucibus, nisi naturale illis esset ciborum, ac potuum emollientium, refrigerantiumque desiderium, nisi somno delectarentur profundo, nisi frequentibus obnoxii essent arteriosis haemorrhagiis, quae totidem sunt adminicula, exaltatam ad illa mala dispositionem infringentia, benigne a natura juvenibus obtingentia. — Aetate virili superans paulatim in contractionem nisus arteriarum capacitatem minuit, eoque faciliorem sanguinis in venis, praecipue systemate venae portae accumulationem inducens, in morbos diversissimos viscerum abdominalium disponit, quibus tamen adpetitu minori, consumptione majori, exercitio functionum sexualium, laboribus gravibus, sudoribus largis, fluxu haemorrhoidali, in feminis graviditate, et partu, his autem silentibus corporis obesitate, leucorrhoea, diarrhoeis frequentibus, urinae secretionibus, ac excretionibus largis natura obviam ire, et sic exaltatae illi in viscerum abdominalium morbos dispositioni medelam ferre nititur. — Aetate senili, qua sensus



stupent, calor animalis, et turgor vitalis minuitur, restauratio languet, materierum dignitate organica privatarum eliminatio tarda est, hinc organa successive rigida fiunt, benigna natura eo adhuc hominem conservare, et graves morbos, ipsamque mortem abigere conatur, quod in sene excitet desiderium ciborum concentratorum, nutrientium, et potuum spirituosorum, item amorem exhilarationum psychicarum, sed praecipue nisum in quietem, qua dispositionem in resolutionem, et partium resolutarum congestiones minuit, cui etiam per alvi, et urinae excretiones liberas, habituales muci e pulmonibus, et bronchiis excretiones succurrit, sicque vires vitales usque rogam in sene sustentare studet natura.

#### §. 8.

Haec est organismi humani per varias, in quibus is versatur, aetatis periodos autocratia naturae conservata vitae sors, quamdiu et potentiae, quas organismus humanus ad sui conservationem e natura externa haurire debet, ita constitutae sunt, ut ei debitam materiam, et vires, quo et vita justo tenore procedat, suppeditent. Sed nec tunc cessat autocratia naturae conservatrix normalis valetudinis permansionem moliri, cum ob commercium, quod inter corpus vivum, et naturam externam obtinet, ad certum usque gradum turbatum, externae potentiae aut quantitate, aut qualitate a justo tramite aberrantes, vel etiam factores vitae interni anomalam mutui inter se commercii rationem sequentes, in organismo majus, per se irreparabile provocant damnum, aut saltem gravem huic minantur morbum. Exemplis hoc quotidie obvium illustrare fas sit: sic oculo uno amisso alterius lumen acuitur, utrique deperdito tactus, et auditus subtilitas substituitur. Trunco aliquo arterioso deligato, vasa collateralia ampliantur, vice prioris functura. Testiculorum uno deperdito, alter alacrius secernit, secretionem una

deficiente, discernendum in aliis paratur vicariis organis. In graviditate extra — uterina non semper pereundum est matri, nam autocratia naturae conservatrix non una vice in suppurationem, ac destructionem fetum mutat, variis viis per pus apertis, e corpore matris eliminat; a destructione vero illa partes alias custodit saepe per formatum pseudo-uterum, vel fetum in lithopaedium per plures annos corpore matris, quin hujus normalis valetudo turbetur, gestatum, convertit. Vasorum haematophororum continuitas laesa mox thrombo restituitur. Nocens e ventriculo per emesim, ex intestino per catharsim, e larynge per tussim mox ejicitur, e partibus solidis per pus eluitur, aut membrana per phlogosim formata cinctum innocuum redditur. Maxime tamen hoc respectu notatu digni sunt morborum quidam status, relativam sanitatem non turbantes, quibus Autocratia naturae conservatrix gravissima saepe vitae pericula praecavet, sic quis non novit per ulcera foeda, fongiculos diutius suppurantes, impetigines, sudores saepe profusos universales, vel partiales a susceptione contagiorum quorundam, praecipue Pestis orientalis hominem non raro optime defendi, apoplexias, arthritides, epilepsias praepediri. Sic saepe utitur natura epistaxi, haemoptisi, haematemesi ad statum relativae sanitatis servandum. Sic penes scabiem adultorum, poriginem crustaceam infantum sanitatem saepe optime florere, his vero cito sanatis, aut retropulsis hydrocephalum, phthisim pulmonalem, amauroses, cophoses oriri docta testatur medicorum experientia.

### §. 9.

Ast vice non una omne naturae conservandi nomen irritum evadit, externae namque, quae organismum individuum feriunt, potentiae ejus sunt indolis, ut ab eo nec in propriam materiam, propriasque vires converti, nec abigi queant. His, vel et

quacunq̄ue alia in organismi vivi penetralibus latente causa ea simul vitae internae mutatio oritur, qua organismi evolutio turbatur, destructio promovetur, motusque organicus a legitima ad evolutionem, et totum vitae finem ratione recedit, seu paucis: organismus humanus morbi imperio traditur, ubi igitur pugna exardescit, qua morbus corpus humanum omni, qua pollet, vi adgreditur, ipsa autem hujus. vita omni, quo potest, nisu reluctatur. Sed nec in hoc salutis statu dubio neverca est homini natura, verum alteri, quae medicatricis nomine venit, naturae facultati credita humana sors, pristinam non raro hujus marte adipiscitur vitae incolumitatem. Ut igitur praemissis in priori capite, quorum hic loci de autocratia naturae conservatrice fieri poterat mentio, de altera naturae potentia, quae medicatrix audit, in capite sequenti disserendi mihi reseretur campus.

## C A P U T II.

### AUTOCRATIA NATURAE MEDICATRIX.

#### §. 10.

Autocratia Naturae medicatrix est virium, ac facultatum homini insitarum actio, et nisus spontaneus sanitatem amissam restituendi. Sicut vim naturae conservatricem, quae fundamentum medicatricis constituit, ita et hanc in vitae principio radicari supra memini. Ut igitur binae hae naturae facultates, quae sorores alias sunt, in eo nisi differant, quod conservatrix praesentem hominis sanitatem conservandi, medicatrix vero amissam restituendi sit naturae potentia. Vis haec medicatrix non solum in iis casibus activa est, in quibus vitam a norma sua errantem sine ullius medicinae ope normae rursus restitui videmus, sed et in illis, in quibus medendi

scientiae auxilium tam exiguum, aut incongruum est, ut illi sanatio nullatenus tribui possit, quin imo etiam congruo potentique adhibito auxilio sanitatis revertentis laus maxima naturae medicatrici competit; illa namque optime novit leges, necessitates, et fines vitae, illa, quod pharmaco consequi nequimus, lege nobis incognita parit. Hinc jam antiquitas tenuit. illud Hippocratis edictum „invenire naturam sibi ipsi vias, et quae conveniunt, peragere. Et alibi“ imprimis natura opus est, qua repugnante irrita sunt omnia, eadem vero ad optimum quodque viam commonstrante, artis doctrina paratur. Hanc naturae prae arte excellentiam et Galenus suo illustrat effato: totum secretum artis medicae non in arte consistit, sed in natura: actus ejus noscere, ejus finem, eique cum prudentia obtemperare.

Quid quod in morbo, cui natura nulla Marte mēderi novit, saepe processum vitalem abnormi mutationi ita accommodet, ut homo adsvetudine jam inducta saltem tranquillior morbi aerumnas ferre queat, ut hoc Seneca C. X. de tranquil. animi recte testatur: nullo nomine melius de nobis natura meruit, quam quod cum sciret, quibus aerumnis nasceremur, calamitatum mollimentum consvetudinem induxit, cito in familiaritatem gravissima adducens. Imo hoc modo hominem contra gravia saepe, quae vitae imminent discrimina dexterrime muniri nemo negabit, qui v. e. ulceribus pedum foedis obnoxios contagiorum quorundam, ut Pestis europeae susceptione omnino immunes esse adprime novit. Inde etiam est, quod homines valetudinarii vitae metam percurrant non raro magis uniformem, magisque placidam, imo vice non una etiam longiorem, quam qui corpore gaudent robusto, hinc recte monet Virey: ecce mala saepe sunt meliora jam adsveta, quam integritas sanitatis inconsveta.“

## AUTOCRATIA NATURAE MEDICATRIX EXISTIT.

### §. 11.

Ex late patente hac activitatis autocratiae naturae medicatricis sphaera in aprico est, naturam morbo mederi, hocque fracto illius vi corporis vivi conditionem normae suae congruam reddi. Sed et quae superius pro vi Naturae conservatrice militant argumenta, hujus propositionis veritatem luculenter confirmant; Naturae enim vis ex eo, quod in vitae principio hucusque inextricato fundetur, semper et ubique una, ac eadem est, nec, nisi intellectu nostro, ac functione sua duplex distincta. Ut igitur adprobata conservatrice Naturae potentia, altera, quae medicatrix audit, ejus vis non adprobari non possit, et versa vice. Hinc sequentia adhuc in hujus argumenti favorem paucis solum hic attigisse sufficiat.

a) Prima scientiae medendi exordia adeo infirma, vaga, dubiaque fuisse, ut plus fors detrimenti, quam emolumenti mortalium inde manere debuerit sortem; etsi enim eorum, qui Medicinam humano generi coevam esse perperam contendunt, sententiam reprehendere, non hujus esse loci clare intelligam, qualis tamen ad medendum ducit, medicinam lento tantum, taroque evasisse gressu, nemo inficias ibit, qui fatorum, quae ea a prima sui institutione ad nostra usque percurrit tempora, probe meminerit. Quid quod perlustrata scientiae hujus historia mox certi reddamur, multifariam faciem induisse theoriam medicam, et nimis saepe principia et sententias mutasse, ita quidem, ut non tantum dubia, et falsa, sed et sibi contraria non raro de eodem docuerit argumento. Si autem unica tantum existit veritas, quomodo fieri potuit, ut medici omni tamen tempore morbos, qui ex eo, quod nihil, nisi

vitae inferioris speciem exhibeant, homini non co-  
 aevi esse nequeunt, bono non minus, ac malo cu-  
 raverint, sanaverintque successu? Certe vim na-  
 turae medicatricem et medicorum honoris, et ae-  
 grorum salutis in hoc contrariorum labyrintho stu-  
 diosam semper fuisse posteritas quoque grata can-  
 dide fateri cogitur. Sed agnoverunt hanc verita-  
 tem jam antiquissimi scientiae medicae in Aegypto,  
 Palaestina, inque Graecia ministri sacerdotes, et  
 Prophetae, quorum prudentiores. certe perspexere,  
 sanationem aegrorum suorum non caerimoniis my-  
 sticis, non dīcteriis e pelle arietina captis, non-  
 que offertoriis tribuendam esse, quam potius a pro-  
 pria vi organismi, se se vindicantis provenire, quam  
 vim excitare conati sunt revocatione aegrorum a cu-  
 ris suis ad loca templorum amoenissima, in sylvis  
 prope rivos, et scaturigines sita, sustentatione item  
 nimiae confidentiae per orationem, jejunia, amuleta,  
 et his similia. — Firmius adhuc fundamentum Au-  
 tocratiae naturae medicatrici jecit Hippocrates, qui  
 in Lib. de morbis popularibus gravissimas saepe ad-  
 fectiones spontaneae vitali energiae relinquit, ipse  
 spectatorem solum agit, vel lene decoc. hordei  
 cum oxymelle simpl. porrigit, imo in Lib. de Arte  
 Autocratiam Naturae vocat medicinam, seu illud opus,  
 quo Natura ipsa sine medicina aegrotantes in inte-  
 grum restituit, adeoque morbos depellendo sanita-  
 tem reparat, atque vindicat. Item alibi ait: mor-  
 bis naturae medentur. Hoc ipsum Sydenham sentit,  
 in tractatu de Hydropse dicens „Natura, quae  
 noctes, atque dies nostris rebus invigilat, atque  
 consult, sponte sua mirum in modum machinatur,  
 quo aegrum a pernicioso morbi reliquiis muniat, ac  
 tūeatur.“ Alibi explicat naturam artis adminiculo  
 non ubique indigere, sed in morbis sanandis ali-  
 quando paucissima, aliquando nulla pharmaca re-  
 quirere.

Et nos quotidie videmus hominum millenos non solum absque omni artis auxilio, sed sub adversis rerum positionibus a morbis gravioribus convalescere, quin imo nec paucos esse; qui sorte iniqua medico ignaro, aut temerario, et curae perversae traditi, et morbum, et medici ignorantiam unice virtute vitali vincunt. Hoc ipsum in Agyrtarum, circumforaneorum medicastroorum, et vetularum, ut plurimum irrationalem sanandi methodum animadvertendum, quae si quando bono coronatur successu, hic non illi, sed Autocratiae naturae in acceptis referendus. Et jure merito, quis sanat pecora campi, quis volucres aëra, pisces aequora trajicientes, quis sanat plantarum morbos? nisi vis naturae medica-  
trix.

b) Ipse etiam morbus Autocratiae Naturae medicatricis existentiam evincit. Sic certum est morbum omnem in se spectatum esse jam reactionem organorum vivorum contra malum excitatam, jam adspirationem motuum ad amissum aequilibrium, seu ad unitatem harmonicam sanitatis restituendam: sed hoc idem est, ac morbum resultatum esse vis naturae medicatricis; haec namque et omni renititur malo, et harmonico motuum concentui studet. Unde Sydenham, Anglorum Hippocrates in morborum acut. hist. et curat. ait: dictat ratio, morbum, quantumlibet ejus causae humana corpori adversentur, nihil esse aliud, quam naturae conamen materiae morbificae exterminationem in aegri salutem omni ope molientis.“

### §. 12.

Salva igitur Naturae medicatrice vi sponte elucet, quantum cum aliis Incitabilistarum Schola, auctore Joan. Brow Autocratiam Naturae e Medicina exulare faciens, a recto veritatis tramite erret; docet quippe illa organismum vivum imperturbata sanitate frui, quamdiu incitamenta individuali incita-

bilitati proportionata, normalem exeruerint incitationem, contra vero incitationem abnormem, seu morbum turbata hac proportione oriri statuit, ita quidem, ut naturae vi nihil hic operari valente morbus in destructionem organismi ultro progrediatur, nisi scientia maxime activis pharmacis progressui huic obviam eat. Quod tamen quotidie morbos graves sibi relictos sanari casta doceret experientia, ne hujus testimonio contradicere videretur Brown, id per potentias externas, quarum actio in organismum est constans, evenire ait. Ast ut alia doctrinae hujus menda silentio praetereamus, ejus auctor, quid morbus, quae revertentis sanitatis sit ratio? ignorare videtur. Sic certum est morbum omnem luctam esse, qua organismus vivus manifesto conamine cuncta heterogœnea aut subigere, aut eliminare nititur; quaeve pristinam recuperat salutem, si victor ejus stadiis evadat. An igitur hoc non idem significat, ac morbum reactionem esse vis naturae medicatricis, pristinum valetudinis statum restituere conantis, seu organismum vivum habere vim, vitam suam individuaalem contra diversissimi generis, et excessivi gradus influxus tuendi? Nec quid futilius ejus objectione dari potest; an absque nexu, et commercio cum rebus externis homo existere potest? nemo tamen huic influxui saepe insensili, aut plane contrario, sed viribus organismi sanationem illam spontaneam tribuet.

### §. 13.

Ergo Natura medetur morbis, nec ex eo, quod quotidie mortales in vasto, quem incolimus terrarum orbe, orci faucibus tradi videamus; quid contra argumenti hujus veritatem inferri potest; natura namque cuncta, quae procreavit, spatii, et temporis limitibus circumscripsit, hinc nec materiae incrementum in aeternum procedere, nec vires in infinitum agere queunt, atque adeo neque conditioni-



bus vitae in perpetuum obtemperare. Ut primum vero una vitae conditionum organismo deficit, vitam suam nec conservare, nec contra inimicos naturae externae influxus amplius tueri valet, sed eo redit, unde processit, in matris naturae complexum moritur. Ut igitur vitae temporis, et spatii limitibus circumscriptae, vitae itaque finitae duratio infinita non conveniat, sed omnis vita particularis, cum universae vitae legibus insuper regatur, legibus his serius, aut ocyus victima cadere debeat.— Dum itaque morimur, formis, et rationibus externis solutis e vita individuali in vitae universae, et oeconomiae naturae sinum regredimur, ut corporibus individuis novis, nobis succedentibus, locum concedamus. Unde sponte patet; gravi naturae lege hanc mortalium sortem esse sancitam, insanum proindici debere eum, qui hominem hoc suo fato autocratiae naturae medicatricis virtute demi praetendat.

Utut vero homo, quid sit! quaerens, profecto deslere miserabile fatum suum, ac intime convinci de veritate illius edicti debeat: „Pulvis, et umbra sumus“ nemo tamen sanae mentis sibi, et universo generi humano praefixum deslebit terminum. Id enim, quod nec ex pulvere, nec ex umbra coaluit, sed simplex, et aeternum, corporis nostri fragilis, et caduci sortem moderatur, pars nostri nobilissima, immortalis anima, nunquam est interitura. Et quamvis corpus hocce pulvis solum, et umbra sit, is tamen, qui nutu suo nos in vitam provocavit, naturae suae, quam creavit, vires eo iterum inducere potest, et profecto inducet, ut pulvis hic, et umbra ad novam rursus vitam incendatur. Ut adeo et corpore spectato dulce cuique supersit solatium dicere, valenti.“ Non omnis moriar,“

## NECESSITAS MEDICINAE.

## §. 14.

Sic hominem a cunis ad tumbam usque, et ultra hanc comitatus sum, omnemque ejus sortem naturae creditam esse dixi, ita quidem, ut hujus autocratia non tantum conservari, verum et reddi hominem incolumem argumentis, quoad fieri poterat, probaverim. — Sed si haec omnia ita sunt, si tot, tantisque morbis natura sola medetur, — ad quid medicina? an non igitur omnes morbos naturae soli relinquere consultius foret? — Profecto, quousque genus humanum vitam simplicem, naturae suae maxime consentaneam ducebat; quousque nec cibi, nec potus intemperantia, nec effrenis voluptatum omnis generis cupido, nec vitae mollietis effeminata, nec nimia mentis incitatio, nec immodicum virium muscularium exercitium, nec lusuam sanitati, et vitae quam maxime infensorum deliciae cunctas sanae rationis, et aequi judicii excussere habenas, homo vix egerat medicina, et quam natura dedit, vitam conservarat, et propriis praesidiis ad finem, quem ipsa praefixit, incolumem perduxerat. Ast sub illo rerum statu, sub quo nunc versatur major gentis humanae pars, ubi nondum genito parentum peccata vitae imbecillitatem praeparant, — ubi nascentem obstetricis ineptiae, matris, ubera negantis crudelitas, nutricis negligentia, — crescentem educationis perversitas, — juvenem veneris praematurae, immodicae abusus, — virum negotiorum moles, et atrae curae prosequuntur, ubi temperantiae gula, sobrietati crapula, simplicitati luxuria, casto amori incesta cupido, sancto Hymeni vulgivagae succedere Veneris amplexus; ubi superveniente semet in noxam etiam salutis distrahendi studio, homo ver in hiemem, diem in noctem vertere cepit; ubi concordiam rixae, foederis palmam vibrantia fulmi-

na Martis, olivam Palladis inania excepit condendi libido; ubi tandem tranquille pulsantia mortalium pectora cuncta intrarunt Erinnyos flagella; — sub hac rerum conditione incerta admodum est hominum salus, et vita, et magnopere urget ad Medicinam refugium, cujus imperio non recusant obedire inexorabiles caeteroquin Parcae.

Alterum argumentum, quod pro Medicinae pugnat necessitate, ex morborum quorundam, autocratiae naturae medicatrici nequaquam cedentium indole depromitur; sunt namque morbi non pauci, in quibus naturae conamina non sufficiunt, sed luctanti cum morbo vitae ars succurrere debet. — In genere morbi, qui cum sic dicta diathesi incedentes, vegetationis sphaeram eminentius afficiunt, qui systema lymphaticum, et membranaceum, vasis capillaribus ditissimum infestant, praecipue, qui contagio suam debent originem, prout et alii chronici, nimis complicati, dispositione haereditaria e germine suo evoluti, pertinacibus causis, uti organicis, sustentati, morbi denique, in quibus vis vitalis ad imum prostrata jacet, a sola Autocratia Naturae nullam salutem exspectandam habent, quamvis et in his usque vitae extinctionem innegabilia sint Autocratiae Naturae medicatricis conamina; sic in Hydrocephali interni acuti stadio paralytico-convulsivo conamen naturae ultimum mortem avertere volens aegri statum emendare videtur. — Sed nec acuti morbi febriles, et inflammatorii Autocratiae Naturae semper cedunt, sic cum organa nobilia: cerebrum, medullam spinalem, pulmones, intestina magna ferit violentia, vel paralysis, aut gangraena inducta, priusquam natura in aegri salutem quid operari queat, suffocant, vel naturae auxilio ad morbi ruinam non sufficiente, internam suppuratio perimit aegrum, licet et hic pus mira saepe ratione exteriora versus cum integra sanitatis restitutione derivet natura.

Sed quid dicam! Natura ipsa morbi victoriae, hominisque saluti intenta, vice non una aegro ruinam parat, ac in partis, sub gravi morbi jugo gementis perniciem festinat. — Sic verum quidem est in omni phlogosi naturae vires stimulo inimico resistere, sanitatisque moliri restitutionem, ast non minus verum est, vel ideo actionem vitalem vasorum incitari, incitatum vero in abnormem productionem organicam rapi, ac in partis affectae perniciem tendere. Hinc quamvis naturae conatus morbum debellandi nullibi desideretur, a recto tamen tendentiae suae tramite saepe ita errat natura, ut hominem, quem suo salvare satagit molimine, improvisa potius, et violenta tollat nece, nisi Medicina, sacra periclitantis humanae salutis ancora, confusae in hoc suo opere naturae in auxilium currat, facem illi in labyrintho vaganti praeferat, et ad scopum, quem ea sic consequi frustra nititur, tuta via, et sapienti consilio illam ducat. Hinc cel. Reil: cum morbum non semper esse oppositum Autocratiae Naturae dicit, minime semper tute naturae in morbis fidendum esse, clare indicat. Unde ipsae non raro plantae, et animalia sine artis auxilio pereunt.

#### §. 15.

Ut tamen Medicinae studio humani generis consulatur emolumento, methodum in medendo Naturae humanae praeceptis conformem colat Medicus oportet. Est quippe in eo quoque casu, quo minime naturae fiditur viribus, sed artis traditur morbus imperio, medelae ratio eadem semper, atque sanatio ubique Autocratiae Naturae medicatricis, propria virtute operantis, et artis auxilio saltem plus minus adjunctae effectus. — Ideo etiam nihil unquam bonae frugis Medicinae magis obfuisse potuit, quam non pro sua naturam dignitate in ea aequi bonique consuluisse, sed alia, quod antiqua sint, quod contra alia nova, in Medicina civitate donasse; hoc nam-

que modo non fieri non poterat, ut nova antiquis mixta ad lectum aegri Medicos non raro confuderint, et Roma diu deliberante Saguntum perire siverint. Hinc qui in morborum curis felicis est cupidus triumphus Medicus, natis tot de morborum indole signis, farraginis pharmacorum praedilectione, et formularum cum tercentis miscelis expeditione omni caveat studio, bene gnarus, plures medicamentorum oppressos mole, quam medicamentorum sublatis esse penuria aegros: naturae contra dictamen, nec non fertilissimam ejus simplicitatem in medendo morbis pro virili curet; monente etenim Cicerone: „opinionum commenta delet dies, naturae judicia confirmat.“ Et testante Democrito „natura sola potest vincere naturam.“

#### §. 16.

Unde sponte elucet, in ejus nisi Medici manu aegri salutem tutam futuram, qui artem naturae amico foedere jungere noverit, et nec huic, nec illi aequo plus fidendo, media inter Scillam, et Charybdim via vaserit, contra vero sive natura, sive arte minus pro sua ad aegrorum lectos dignitate aestimata, facile incidet in Scillam volens vitare Charybdim Medicus; aegrò simul jam artis, jam naturae culpa perditio. — Et haec est ratio, quod veri nominis Medici summa semper quaesierint cura, quibus, quae natura in morbo molitur, indicarentur signis, eapropter etiam non solum critica naturae molimina sub morbi decursu impedire, et perturbare nefas esse, probe noverint, verum et instinctibus altiore inter efficacia medendi morbo media locum signaverint. Ut igitur de crisis, et instinctibus, velut praecipuis naturalis sanationis mediis, cum et in artificiali citra summum vitae aegri discrimen vili pendere nequeant, hic loci paucis adhuc proferre oporteat.

a) Crisis ea morbi mutatio vocatur, qua de futuro illius exitu decernitur. Hinc bonam placuit Medicis nominasse crism, si ejus sit mutatio indolis, ut ea inducta morbus intereat, et pristina aegri salus revertatur. Inter omnes tamen mutationes, crism constituentes, secretiones, et excretiones criticae praecipuam Medicorum attentionem nullo non meruere tempore. Cum enim eo magis decrescere viderent morbum, quo magis expeditae in eo essent criticae evacuationes: has pro unico medio Autocratiae Naturae medicatricis plurimi antiquorum habuerunt, credentes nullum judicari morbum, quin hae eveniant. Enimvero nec antiquo, nec recenti aevo ullum omnino latuit Medicum, crises saepe absque ullo dari educto, nec omne, quod excernitur, morbi solutionem adferre. Extra omne tamen est dubium, dari salutare criticae evacuationes, et suo tempore, nempe remissionis morbi has per vim naturae medicatricem provocari, quarum aliae, uti: epistaxis, metrorrhagia, haemorrhoides, etc. frequentiores; rariores contra aliae, uti sputum, salivatio, apostema etc. sunt. — Has summae esse in morborum medela dignitatis et Mesmer clare innuit, qui in quantum mystica sua methodo sanae rationis excussit habenas, in tantum sincera sua fassione: curationem morborum perfici ab ipsa natura sola, ad curam eorum nihil aliud requiri, quam ut Autocratia Naturae excitetur, et provocetur ad crises salutare producendas, eam pro parte sibi conciliavit. — Si itaque medicus hoc suo nomine dignus esse, nec in praxi morbo levi gravem, huic lethalem promiscue substituere velit: criticae evacuationes omni curet dexteritate oportet, ita quidem, ut summe ad id, quod natura in hoc opere innuit, semper attentus, illas absentes, ubi indicantur, provocet, justo parciore augeat, suppress-

nas restituat, quacunq̄ue ex causa largis arte moderetur.

b) Instinctus est voluntatis, boni, vel mali insciae impulsus ad quid amplectendum, vel omittendum. Ad sanitatis restitutionem saepe quam optime Autocratiae Naturae famulatur; provenit enim e penetralibus ad sui conservationem nitentis animae physicae, quae citra disciplinam, quae conveniunt, perficit, provenit ex intimis vitae reproductivae, et ideo, quo vita physica eminentior, et vegetatio alacrior est, eo frequentiores, et accuratiores sunt instinctus: eo contra rariores, et fallaciores, aut omnes plane silent, quo major vitae psychicae prae vegetativa potentia. Hinc bruta meris reguntur instinctibus, sic canis gramen masticando vomit, luppus a fungo purgatur, cervus vulneratus dictamnum vulneri adterere dicitur. An igitur, si quaerere fas sit, bestiis his morbi, quo premuntur, indoles nota? pharmaci, quo eum impugnant, virtus medica intellectu, vel disciplina constat? nequaquam, — faciunt unice, quod voluntas, mali quidem inscia, hujus tamen medelae conformia moliens, imperat, et hoc modo citra omnem intellectum, et disciplinam vitam suam conservant, et morbos sanant. Homo crudus, et infans pluribus regitur instinctibus, quam homo cultior, licet hic etiam sub morbi imperio instinctibus, Autocratia Naturae inductis abnoxius reddatur. Sunt autem instinctus veri, quos a falsis constantia sua, et eo insuper, quod tempore remissionis morbi compareant, distingvere juvat, causae morbi directe oppositi, hinc est, quod in morbis acutis nimia potus gelidi, in biliosis, vel putridis acidi quantitas aegros delectet, in primarum, viarum aciditate alcalina, et terrea remedia adpetantur.


Saepe modum, quo res ab aegris monente instinctu petitae prosunt, explicare nequimus, sic quis nescit vice non una aegrum sive morbi ferocia,

aut diuturnitate, sive levitate animi, aut ignorantia eo seduci, ut citra Medici scitum, ac indultum, imo vetante id plurimum Medico talia pharmaci, aut alimenti capiat titulo, quae medendi scientiae lege alias futilium, summe noxiorum instar alias considerata, efficacissimorum tamen funguntur pharmacorum vice, ita quidem, ut morbum, qui Medici, et scientiae dexteritati longo illusit tempore, potenti frangant virtute, aegrumque, cui pauca fors jam salutis affulserat spes, pristinis dotent vitae deliciis. Caveat tamen Medicus salutari hoc Autocratiae Naturae medicatricis monitu in scientiae, sui que abuti opprobrium; nec enim ex eo, quod Phthisim, et arthritidem fragorum, alias ostrearum esu, tabem excessivo limonadae potu, ascitem cerevisia, dysenteriam succo cucumeris piperiti sanata referat Klose, sequitur omnino res has, momente instinctu ab aegris petitas, ad similes virtutis medicamenta referri, et his in aliis quoque aegris simili morbo mederi posse; ac debere; omnes namque instinctus Autocratiae Naturae sine discrimine debentur, haec vero pro aetatis, sexus, temperamenti, constitutionis corporis, dispositionis haereditariae, ciborum ac potulentorum, vitae generis, climatis, anni temporis diversitate non exiguis obnoxia est modificationibus. Unde sequitur nec in instinctibus ullam, quae semper, et ubique rationi sit conformis, figere posse normam, verum Medici gnari prudentia, qui in singulo casu veri, et salutare sint naturae impulsus, disquiri debere. — Hanc rationis legem et antiqui sedulo curarunt, qui instinctualem appetitum tantopere aestimarunt, ut omnia obtulerint infirmis, quaecumque desiderarunt, sic ipse Hippocrates dicit de Affectibus N. X. L. II., qualiacumque sint alimenta, variae species ciborum, et potulentorum, quae adpetunt infirmi, des illa ei, nisi evidenter possint corpori nocere. Et alibi, nutrimentum,



et potulentum jam vel ideo, quod placeant, debent praeferrī aliis etiam sanioribus, meliusque digeruntur.“ Sic Sydenham praescribit, ut in declinatione febrium continuarum infirmis dentur, quae desiderant, etiam si forent res incongruae, quia conatus naturae medicatrices superant intentiones, et habilitatem maximorum Medicorum.

Itaque Natura est potentia illa activa, et spontanea, quae dirigit operationes, et motus hujus universi, organisat, et in vitam vocat cunctas creaturas. Homo per ipsam subsistit, illi suas facultates, suam super terram destinationem debet. Si itaque sanus, et felix in his vivere velit terris: sequi debet vestigia divinae prudentiae, imitari ejus opera, se conformare vocationi Naturae, tam in statu sanitatis, quam in statu morbi.



## Ex universa Medicina.

1. Mors absoluta non existit.
2. Primus in vitam ingressus primus ad mortem passus est.
3. Ex aere atmosphaerico saepe mortem vitae loco inspirat homo.
4. Cholera Patriae nostrae funesta constituit morbum epidemicum.
5. Arteriae irritabilitate carent.
6. In Coreðialysi iridectomedialysis iridoëneleisi praeferenda.
7. Refrigerii in morbos generandos potestas major, quam id vulgo fieri solet, admittenda.
8. Proclivitas generis humani in potus spirituosos horum aliquam necessitatem sibi poscere videtur.
9. In medici prudentis manu non datur venenum.
10. Quo morborum cura simplicior, eo melior.
11. Studium Medicinae non nisi morte finiendum.
12. Autocratia naturae morbi curantur, medicus rationalis hanc adjuvat solum.